Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

A ria mortis interpretatur. Arguit eum non repente persuasum sed meditatum diu iugis domini
traditionis subisse piaculum qui non per inprudentiam sed per prouidentiam inter apostolos elegitur.
Quanta enim est ueritas quam nec aduersarius minister infirmat. quanta moralitas domini qui
periclitari apud nos iudicium suum quam affectum maluit. Susceperat enim hominis fragili
tatem. et ideo nec has partes recusauit infirmitates humanae. uoluit deseri. uoluit prodi
uoluit ab apostolo suo tradi. ut tu a socio desertus a socio proditus moderate feras tuum errasse
iudicium perisse beneficium. tudo copiosa plebis.

L xlv / I / mt xxiii / mr xxvii / M io xlvi

Et descendens cum illis stetit in loco campestri et turba discipulorum eius et multi

Electurus apostolus dominus in montana subiit. turbas uero docturus ad campestria redit quia
nonnisi in humili Christum turbae uidere sufficiunt. Nam haec est norma quam secutus apostolus ait.
Non potui uobis loqui quasi spiritalibus sed quasi carnalibus quasi paruulis in Christo. lac uobis
potum dedi non escam. Nondum enim poteratis sed ne nunc quidem potestis. Apostoli
autem ipsi secundum Mattheum quasi perfectiores et in monte et a proprio ore saluatoris docti esse
narrantur. Ubi si quid diligentius utrumque uelit euangelistam perscrutari potest intellegi
cum in monte duodecim discipulos elegit e pluribus quos apostolos nominauit quod Mattheus
praetermisit. tunc illum habuisse sermonem quem Mattheus interposuit et Lucas tacuit. hoc est
in monte. ac deinde cum discendisset in loco campestri habuisse alterum similem. de quo
Mattheus tacet. Lucas non tacet. et utrumque sermonem eodem modo esse conclusum.

Ab omni iudea et hierusalem et maritima et tyri et sidonis et cetera.

Maritimam multitudinem non a proximo mari galileae. Neque enim hoc minteculi loco poneret
sed a mari magno reor esse cognominatam in qua etiam tyrus et sidon conprehendi poterant.
Uerum quia gentium ciuitates sunt. iudaeis quidem sorte datae sed non ab eis possessae. eo quod
hostes exterminare nequirent consulte nominatim ponuntur ut quanta sit fama uir
tutisque saluatoris intimetur quae exteras etiam ad sanitatem doctrinamque capessendam
ciuitates accersiat. Ubi notandum quod dominus uenientibus ad se gentilibus misertus sit. Unde et puerum
centurionis et chananeae filiam ad probata parentum fide curauit. Non tamen eorum ciuitates
intrasse repperitur. Ne uidelicet occasionem quaerelae iudaeis calumniantibus suggereret
sed perfectam potius salutem gentium passionis et resurrectionis suae tempori reseruaret.
quo inminente tempore gentilibus eum uidere quaerentibus ait. Nisi granum frumenti
cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet. si autem mortuum fuerit multum fructum adfert.

Et omnis turba quaerebat eum tangere quia uirtus de illo
exiebat et sanabat omnes.

Et supra leprosus domino tangente mundatur et hic omnis turba qui eum tangere potuit spiritus
illius uirtute sanatur. Tactus ergo saluatoris opus est salutis quem tangere est fideliter in
eum credere a quo tangi est eius muneris firmari. sed unusquisque in suo sensu abundat.